Lange, M.

De Ciceronis altera post reditum oratione.



DE CICERONIS
ALTERA POST REDITUM ORATIONE

COMMENTATIO

QUAM

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

RITE OBTINENDORUM CAUSA

SCRIPSIT

MARTINUS LANGE

FRANKENBERGENSIS.

DRESDAE.

TYPIS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXV.

Codice illo Parisino nuper a viris doctis, qui insigniter de Ciceronis orationibus restituendis meriti sunt, diligentissime excusso postquam Wolfius, Madvigii verbis ut utar, Gruterianas sordes exagitare maluit tamquam declamatoris ineptias quam adhibitis, quae parata erant, aliisque provisis codicum subsidiis in emendata scriptura certum ponere fundamentum, aliquam multis illas quattuor post reditum quae dicuntur orationes mendis esse naevulisque repurgatas, est quod nobis gratulemur. Conticuit emin obmutuitque illud eas vel carpendi maledico dente vel a Cicerone abiudicandi studium acerrimum. Neque tamen poterit, qui alteram, qua populo gratias egit, orationem paulo percensuerit accuratius, ullo modo gravissumus, quibus etiamnunc ea laborat, difficultates vel dissimulare silentio vel monstratas a Wolfio infitiari, cum praesentim parum luminis codex Parisinus, quamvis bonus in emendandis tribus aliis, huius oratiunculae attulerit tenebris. In ea igitur viros doctos nunc esse sententia apparet, ut primam illam quidem ad senatum, tertiam ad pontifices de domo, quartam de haruspicum responso habitam orationem satis argumentis esse confirmatam censeant, sed alteram ad Quirites aut prorsus abiudicent a Cicerone aut certam expromere sententiam vereantur aut cunctantiores cautioresque Ciceronis eam esse profiteantur. Repetenti autem mihi illam quaestionem implicatam semper, interdum minutam illud concessum iri et scio et spero, non tam genus omnino dicendi in suspicionem vocari verborumque copiam (quae cum ad verbum paene ex oratione priore deprompta videatur, aut, ut in gratiarum actionibus, minus habet offensionis aut non certo potest argumento iudicari subditicia), quam rerum, rerum, inquam, quae Ciceronis reditu agebantur, rationem investigandam subtilissime et accuratissime explicandam. Hoc emin in genere resident scrupuli nec ii tenuissimi, quos

iniecisse nobis plurimos Wolfium quo ingenii fuerit acumine constat, quos evellere aut praeiudicata opinione noluit aut, id quod equidem sentio, non potuit perversa via atque ratione progressus. Errasse autem Wolfius eo mihi maxime videtur, quod, neglegens omnium optimum fundamentum disputationis, Ciceronis et Cassii Dionis locos eos, quibus illius reditus describitur, quibusque solis, num omnio gratias Cicero ullas apud Quirites quove die et quo loco egerit, potuit intellegi, perstrinxit potius atque attigit, quam diligentius tractavit; ubi horae paene singulae, ne aliud ex alio peccaret, considerate distinguendae erant, prorsus reliquit iniudicatum, quid singulis actum esset diebus. Prave igitur ne in illius vestigiis insistamus, quantum ex illis locis ratiocinando liceat assequi, quasi aurificis statera aute omnia nobis erit examinandum.

Quae cum ita sint, in ipso limine commentationis epistolarum illum locum (Cic. ad Att. IV. I, 5, 6.) in primis videamus necesse est quem ad modum interpretemur. Facit autem Atticum de reditu Cicero certiorem verbis his:

„*Cum venissem ad portam Capenam, gradus templorum ab infima plebe completi erant, a qua plausu maximo cum esset mihi gratulatio significata, similis et frequentia et plausus me usque ad Capitolium celebravit, in foroque et in ipso Capitolio miranda multitudo fuit; postridie in senatu, qui fuit dies Nonarum Septembr., senatui gratias egimus. eo biduo cum esset annonae summa caritas et homines ad theatrum primo, deinde ad senatum concurrissent, impulsu Clodii mea opera frumenti inopiam esse clamarent, cum per eos dies senatus de annona haberetur et ad eius procurationem sermone non solum plebis verum etiam bonorum Pompeius vocaretur idque ipse cuperet multitudoque a me nominatim, ut id decernerem, postularet, feci et accurate sententiam dixi. Cum abessent consulares, quod tuto se negarent posse sententiam dicere praeter Messallam et Afranium, factum est senatus consultum in meam sententiam, ut cum Pompeio ageretur, ut eam rem susciperet lexque ferretur. Quo senatus consulto recitato continuo more hoc insulso et novo plausum meo nomine recitando dedisset, habui contionem, omnes magistratus praesentes praeter unum praetorem et duos tribunos pl. dederunt. postridie senatus frequens.*“

Insident autem nonnullae huic loco quasi offensae quaedam, quas nisi removerimus, satis nobis certo incedere gradu vix licebit. Atque hoc parvulum ne reticeamus, dissentiunt viri docti inter sese, utrum verba cum abessent — praeter Messallam et Afranium, cum eis quae antecedunt enuntiatis an cum eis conectenda sint, quae sequuntur. Illud probant Hofmannus, Frey, Wesenbergius, hoc praeferunt Baiterus atque Bootius, qui quidem, quia plus intersit narrare SCtum factum esse, cum abessent consulares quam illis absentibus se sententiam dixisse, ita distinguendum esse censuit (p. 159 Ausg. d. Briefe): dixi. Cum abessent — Afranium, factum est etq. s. Ac prorsus assentior. Mirum cuim quantum illud haberet offensionis, si Cicero, postquam omnes iam supra enumeravit causas,* quibus ut sententiam diceret commotus sit, novam eamque inexspectatam subito ad extremum** afferret. Sin voluisset dicere sese dixisse ipsum, quia non dixissent consulares, tale quid postularemus: ego dixi, cum abessent consulares. Quamobrem Baiteri Bootiique sequor iudicium verba illa: cum abessent-Afranium cum enuntiato subsequenti coniungentium, videturque conexus sententiarum aut esse hic: cum abessent consulares, senatus consultum factum est in meam sententiam, aut, id quod equidem sentio, ita res est explicanda: cum abessent consulares, nihil decretum est aliud nisi ut cum Pompejo ageretur; nos: Wegen der Abwesenheit der Consulare kam nur der (vorläufige) Senatsbeschluss zu Stande, dass man Verhandlungen mit Pompejus einleite. Aliquid decretum est, ut tumultuantium hominum animi sedarentur; ceterorum ut senatorum illa de re exspectari possent sententiae, nihil est decretum certi. Postridie, quo die senatus frequens, lex est conscripta singillatimque omnia constituta atque designata.

Nova nunc exsistit eaque subdifficilis quaestio quae est de verbis senatus consulto recitato continuo. Codex autem Mediceus prima manu praebet hoc: senatus consulto

---

* cum esset annonae caritas — cum Pompeius cuperet, cum multitudo postularet.

** cum abessent consulares.

recitato continuo more, quod quid sibi velit, utique nescitur; omittit igitur continuo additque cum altera Medicei codicis manus. Itemque nos quoque illud continuo causae obstant gravissumae quominus retineamus. Quorsum id tandem pertinet? Etenim sive ita conectis contino habui contionem, supervacaneum Cicero hoc videtur attulisse propterea, quod, si habuit contionem, habuit, id quod aliter omnino fieri non potuit, statim post senatus consultum recitatum; sive continuo cum scribis et intellegis idem esse atque cum primum, simulac, neque munus friget oratio et indicativum perfecti continuo cum dederunt postularim; sive denique senatusconsulto recitato continuo praefers aut adiectivum id esse aut adverbium existumans, verborum et ordo et structura nos offendit ut quam maxime. Quae cum ita sint, aliunde fortasse medicina est quaerenda, respiciamusque etiam verba proxima nonnullis laborare incommodis. Subiecto enim caret illud dedisset, obiecto caret id quod paulo infra: dederunt. Itaque ut et obiectum ad: dederunt afferrem et ut removerem odiosum illud: continuo, deleto habui vocabulo, quondam scripsi: contionem-dederunt, et pro: continuo cum conieci*: contionatus sum cum. Sed cum quae altera in illis verbis erat maxima difficultas deesse nobis ad dedisset subiectum, id quod neque senatus neque multitudo credi esse possit, prorsus non sit sublata, verendum est, ne artificiosius videamur quam arti criticae convenientius egisse, quae, cum verbum nobis desit, paulo autem ante corruptela sit detecta, ibi postulat ut verbum investigetur. Qua in re Cratander, etsi perquam multa temere immutabat interpolabatque, perbono tamen sed quo peraro recte uteretur apparatu critico instructus veri patefecit viam hoc in medium proferens: cum populus more. Quid sit verum, acre Manutii evicit judicium coniectura facillima cumque difficultates removeat

---

* Quo senatus consulto recitato contionatus sum, cum more hoc insulso et novo plausum in meo nomine recitando dedissent. Contionem omnes magistratus-dederunt. (Goclerus ad b. 9. VII. 47, 2. pro contionatus scribit continuo.)

omnes omnibus praeferenda: cum contio more,* quam et Hofmannus et Frey et Suepfel probaverunt neque aspernatus est Meutznerus cum contio continuo more, coniciens (N. J. f. Phil. 1864. 89. p. 170). Quod autem Bootio propterea Manutii displicet coniectura, primum quod durius sit illud: cum contio-plausum dedisset habui contionem, deinde quod illa hominum multitudo, quibus senatus consultum recitatum sit, contio dici non possit, certe ab huius opinione multum distamus. Etenim sine dubio illa populi multitudo et contio dici debuit et aliter omnino appellari non potuit, cum magistratus, quibus ius erat contionem habendi, et adessent et contionem darent. (cf. L. Lange. Röm. Alterth. 2. Aufl. p. 664.) Illud sane concedendum necessario est durum, nimis haud dicam esse durum cum contio — habui contionem. Sed talequid Ciceronem, cum praesertim duas idem verbum significet notiones, neque in epistulis meminerimus neque in aliis orationibus vitare, velut: pro Sex. Rosc. II. 5. his de causis ego huic causae vel id quod hoc loco: in senatu senatui gratias egimus. (cf. Suepfel Ausg. d. Briefe 4. Aufl. p. 103.) Id vero quod Bootius ipse probavit: cum continuo, suspicans praeterea ante verbum plausum excidisse fortasse vocabulum: populus, non possum non reicere, cum, utrum continuo post senatus consultum recitatum an continuo in nomine meo recitando intelligendum sit, ambigatur. Manutium autem si sequimur, corruptela continuo quem ad modum vel ex librarii mendo: contiommore vel compendio quod dicitur perverse soluto, vel eo exstiterit, quod, quam quis offensiunculam inesse verbis contio-contionem putaret, corrigendo eam removere properavit, facile potest intellegi. His de causis in eius coniectura adquiescendum esse censeo neque habeo, cur vel Wesenbergium sequar nonnullas litteras excidisse existumantem (recitato continuo) vel Baitero astipuler scribenti hoc: continuo cum dedissent. Ad illud vero: dederunt, id quod sane praeferendum est alterius manus addidamento: decreverunt, abesse magis obiectum quam

---

* Propius ad litteras, quae in codice Mediceo traditae sunt, accederent: „cum contionum more"; sed deesset nobis subjectum ad illud: dedisset.

deesse, neve opus esse Wesenbergi correctione quam dederunt scribentis* nemo unus negabit. Digladientur alii per me licet de aliis, quae ad sententiam eruendam multum non faciunt, velut utrum ad: meo nomine recitando praepositio in addenda sit necne; quam rem Sauppius* profligasse et ad exitum videtur adduxisse. Hoc effecisse satis habeo maioris lacunam ambitus per totam locum non inveniri.

Aggrediamur iam ad quaestionem non tam difficilem per sese, quam multis quae magno ad persuadendum momento non sunt allatis mirum in modum contortam impeditamque. Illa enim verba eo biduo quid significent quam maxime hominum doctorum dissident sententiae. Proficiscimur autem ab ablativo biduo, cuius quae sit vis atque natura quaeve ratio grammatica, ambigi omnino non potest; est enim temporis ablativus significans vel: zur Zeit zweier Tage, an zwei Tagen vel in einem der Momente zweier Tage et ita quidem, ut vel in primum vel in ultimum vel in quodlibet illius temporis spatii punctum res incidat. Locis autem nonnullis aliquid oritur difficultatis propterea, quod ex ablativi natura, quosnam illud biduum duos significet dies, non apparet, sed ex sententiarum id est eliciendum conexu, velut bell Gall. VII, 11, 4: Cenabum Carnutum profiscitur — huc biduo pervenit. Hocine biduo putabis duos dies significare sequentes, ut vertendum sit in den 2 folgenden Tagen, an censes et diem quo proficiscitur et quo vesperi pervenit diem illius bidui spatio contineri? Posterius mea quidem sententia praeferendum. Itemque eodem capite (VII, 11, 1.) verba haec: altero die cum ad oppidum Senonum Vellaunodunum venisset, — oppugnare instituit idque biduo circumvallavit, ita nobis sunt interpretanda, ut biduum et ex eo die quo oppidum oppugnari coeptum est et ex die constet insequenti. Vix autem haesitabis in explicandis locis his: ad Att. II. 1. 9. Lucceius quid agat scribam ad te, cum Caesarem videro, qui aderit biduo (in den 2 folgenden Tagen), Liv. XXXIX, 10 et jam biennio constare ne-

* cfr. Emend. alterae scr. A. S. Wesenberg Lips. 1873. p. 97.
** cfr. Phil. XIX p. 254 seqq. sed cfr. Bootii adnot. p. 159.

minem initiatum ibi maiorem annis viginti. (in den 2 vorausgehenden Jahren et quoniam ab initio biennii proficiscimur, idem fere est atque seit 2 Jahren). Qua in re notissima pervulgatissima ne longus sim — copiam autem eiusmodi locorum in promptu habeo uberrimam — hoc dico licere nobis nonnullos locos idque interpretandi causa addenda praepositione vel ante vel post illustrare, permultos locos, sententiarum id prohibente conexu, non licere.

Iam vero neque par est prorsus neque dispar eorum ratio locorum, ubi pronomen demonstrativum, quod sane habere debet quo referatur, ad ablativum temporis additur. Namque si equidem dico: hoc biduo aut dies hodiernus atque crastinus aut dies hesternus et hodiernus significantur. Tertium non datur; biduo contra, nullo pronomine demonstrativo addito, si res postulat, etiam vel dies duos antecedentes vel sequentes significare potest.

Miram autem his de ablativis sententiam Blatzius* attulit hanc: Sowie in Zeitangaben ein datirendes hic und ille gebräuchlich ist, so kommt, wenn auch selten, das Pronomen is in ähnlicher Bedeutung vor und dient dann dazu, um von einem erwähnten Ereigniss aus der Vergangenheit nicht nur vorwärts, sondern auch rückwärts zu datiren. Ne in molem crescat libellus, perquam ego breviter, quo ex errore quos in errores vir doctus sit deductus, explicabo: Hic annus est das jetzige Jahr ergo his annis est (in diesen Jahren) sed ita, ut annus, qui nunc est, illis annis contineatur. Blatzius vero et Wopkens (lectt. Tull. p. 349 Jenae 1829) et Drakenborch (ad Liv. V 51, 5.) his annis hoc biduo alia eiusmodi idem esse censent atque: proximis annis proximo anno; mirum autem quantum illi falluntur, quoniam neque pronominis hic vis atque natura id postulat, sed potius vetat neque loci ii, quos attulerunt, eorum ullo modo confirmant opinionem; quo in numero Plaut. Pers. I. 1. 37. Numos quos tibi reponam hoc triduo. Blatzius tres sequentes dies significari putat; sed mea quidem sententia luce est clarius hoc triduum complecti tres dies, qui significantur adverbiis: hodie cras perendie, pecuniamque si ultimo ejus spa-

* Programm des Gymn. zu Offenburg i. Baden 1860—61 p. 37.

tii die reponetur, repositum iri perendie, nos: übermorgen. Quod Cicero mense Sextili (ad fam. VI, 9. 1) scripsit haec: neque ego ad te his duobus mensibus scripseram, quia mense Junio ad eundem Trebatium litteras miserat, quinam tandem menses alii hic omnino cogitari possunt nisi Quinctilis et Sextilis? Num putas menses duo praecedentes? id quod vult Blatzius et ni fallor Georges*, qui rem haud ita perspicius verbis hunc in modum studet explanare: hic = gegenwärtig jetzig, his duobus mensibus in den letzten zwei Monaten. Neque aliter se habet locus, qui est de orat III 93: hoc biennio magistri dicendi exstiterunt; absurdum est autem opinari, ad duos eos qui praecedunt annos hoc biennio spectare. (cfr. Piderit de oratore III. 24 93: Es sind seitdem noch nicht 2 Jahre verflossen, eigentlich in dem biennium, in dem wir jetzt stehen). Iam vero locum (in Verr. act. II. lib. II. § 64), ubi pronomen ille invenitur, inspiciamus: Simulatque in Siciliam veni, mutatus est (sc. Metellus); venerat ad eum illo biduo Laetilius quidam. Ac Zumptius quidem: biduo ante quam ego adveni itemque Blatiusz: (zwei Tage zuvor), in medium proferunt. Sed tamen aut fallor aut haec etiam feri potest inter pretatio: Venit Cicero in Siciliam, venerat ante eum Laetilius, sed quia Cicero ignoravit, utrum eodem ille die, quo ipse, an antecedenti die venisset, prorsus rem relinquens integram scripsit illo biduo (cfr. in Pis. VI, 14 illo fere biduo): An dem Tage, wo ich nach Sicilien kam, oder den vorhergehenden Tag, war zu Metellus Lätilius gekommen. Quos locos cum semper incerti aliquid habere videantur, cumque non pauci sed paucissimi potius dicam inveniantur, neglegentia magis eos quam consilio tales exstitisse non abest suspicio; quam multo etiam magis in eos locos cadere apparebit, quibus mirabilem de pronomine is sententiam student comprobare. Quibusnam tandem Blatzius difficultatibus et dubitationibus impulsus usque eo pervenit, ut, etsi multis locis, velut bell. civ. III, 32 eo biennio nihil esse nisi in den 2 (erwähnten) Jahren satis

---

* Georges, lat. deutsch. Handwörterbuch. V. Auflage. Leipzig. 1861. I. Band. p. 1907.

ei constabat, aliis locis novam prorsus diversissimamque ab illa interpretationem sibi fingeret? Quattuor attulit locos, quorum, id quod satis habet offensionis, non minus tres ex Caesaris de bello civili commentario primo desumpsit. Ac primum capite XVIII Caesar scripsit haec: Caesar primis diebus castra magnis operibus munire et ex finitumis municipiis frumentum comportare reliquasque copias exspectare instituit. Eo triduo legio VII ad eum venit cohortesque ex novis Galliae delectibus XXII et q. s. Kranero rem ita explanante, ut id triduum ad primis diebus" referret, quis a simplicissima et facillima interpretatione recedet, cum praesentim Blatzius nihil aliud afferat nisi haece: p. 18: Es ist nicht erklärlich, wie man von diesen 3 Tagen reden könne, wenn im Vorausgehenden von keinen 3 Tagen die Rede ist. explicat igitur vertitque: Das auf das Berichtete folgende triduum. At si non trium dierum mentio est facta, mentio est facta dierum primorum; habet igitur pronomen is, quo referatur.

Alter autem locus invenitur c. 87, ubi ita fere res se habet: Milites Afrani et Petrei Caesari se dederant postulantes, ut statim dimitterentur; res eo deducitur, ut ei, qui habeant domicilium aut possessionem in Hispania, statim, reliqui ad Varum flumen dimittantur (cfr. c. 86). Nonnullisque rebus commemoratis, quae hanc ad quaestionem nihil faciunt, narrat haec: Parte circiter tertia exercitus eo biduo dimissa duas legiones antecedere reliquas subsequi iussit. Iterum Blatzius „zwei Tage nachher" exhibet. Sed quidni licuerit Caesari, cum languidum atque odiosum illud eo die et die postero vellet vitare, et elegantius et concinnius eo biduo usurpare? Nonne res postulat, cum praesertim appareat statim milites dimittendos fuisse, ut id biduum esse diem, quo milites se dederant, et diem posterum intellegamus?

Eadem prorsus loci tertii (c. 41) est difficultas, eadem, nostram sententiam si sequeris, haud ita difficilis rei explicatio. Caesar, postquam exposuit ponte interrupto (singula longum est enarrare) proelium commissum sed mox esse diremptum legionesque in castra reductas esse, addit haec: eo biduo Caesar cum equitibus

DCCCC in castra pervenit. Pons paene erat refectus. Blatzius et Hofmannus, qui in Kraneri editione eum videtur esse secutus, his nituntur argumentis rem disceptare: eo biduo kann an sich betrachtet wohl heissen: in diesen 2 Tagen; es kann aber auch heissen: 2 Tage darauf (locum certum quo id appareat non inveni). Da nun gar nicht erwähnt ist, dass der eben beschriebene Vorgang zwei Tage dauerte, dies auch gar nicht wahrscheinlich ist; da ferner Cäsar, wenn er während dieses Vorganges eingetroffen wäre, die Brücke nicht beinahe wiederhergestellt vorgefunden haben würde, er auch in diesem Falle nicht unthätig geblieben sein würde, so ist eo biduo mit 2 Tage nachher zu übersetzen. Caveant autem viri docti, ne nimium probantes nihil probent. Nam si concedamus Caesarem eodem die, quo proelium erat, in castra non venisse, nonne simplicius est suspicari postero eum die venisse, ita, ut eo biduo et diem proelii et diem posterum significet? Quo quidem in loco tantum abest ut necesse sit eo biduo ad dies duos sequentes spectare, ut vix eius pronominis ratione quem ad modum ad illam significationem pervenerit, possit explicari. Sed utcunque vel hic locus vel alii duo sese habent, unde nova de pronominis is natura deducatur opinio, prorsus non sunt apti.

Quibus expositis acriore iam Marte licet contra Blatzium contendere mirum quantum a vero in percensendo loco quarto (ad Att. IV. I. 6.) aberrantem. Sed antequam ad eius argumenta accedamus, nonnulla quaedam, quae neque ab illo neque abaliis recte iudicata huc afferuntur, nobis sunt attingenda. In nonnullis enim editionibus epistularum haec iveniuntur*: Der blosse Ablativ zur Bezeichnung nach einer Zeit, jedoch gewöhnlich mit folgendem Relativsazte. Sed neque ablativus temporis [quem vertere tantum interdum licet „nach“, velut paucis diebus in (nach) wenigen Tagen] neque loci velut quadriduo quo et q. s. tale quid significant, quorum quae sit ratio, neque Zumptius (quadriduoquo = 4 Tage nachher als) neque Kruegerus aut Kranerus (4 Tage von der Zeit ab,

*) cfr. Frey: Ausgewählte Briefe Ciceros. Leipzig 1864, p. 81.

wo) neque alii satis recte videntur explicasse. Qua quidem in re explananda quo magis id, quod sentiam, perspicium sit, certum locum eligamus hunc (pro Sex. Rosc. Amerino XXXVI, 105) Mors Sex. Roscii quadriduo, quo is occisus est, Chrysogono nuntiatur. Si tu numerabis dies singulos, unde numeres, inprimis est considerandum; ita igitur dierum numerum inibis: dies mortis, secundus dies, tertius dies, quartus dies, ergo quadriduo, quo occisus est, mors nuntiatur, est idem atque: quarto die eorum dierum, quorum primo occisus est, nuntiatur et q. s. Nos autem aut eundem in modum aut Germanorum more vertamus necesse est: 3 Tage später, als er getödtet wurde, wurde gemeldet.

Sed aliquantisper exspatiatus sum in rem non adeo necessario vinculo cum praeposita quaestione coniunctam, cum enuntiatum relativum in epistularum loco omnino non inveniatur.

Age sis argumenta percurramus ea, quae ex rebus illo tempore gestis in medium proferuntur. Dicit autem Cicero haec. ep. ad. Att. IV. I. 6: „Romam veni (prid. Non) postridie Nonis ipsis senatui gratias egimus. eo biduo cum esset annonae summa caritas, cum omnes id cuperent, sententiam de annona dixi.“ Qua re quid simplicius evidentius magis ab omnibus remotum est difficultatibus, ut non intellegere, quid velit Cicero, paene difficilius quam intellegere videatur? Etenim illud: eo biduo quo tandem alio nisi ad prid. Non. et Nonas potest pertinere? Nonne in propatulo positum est Nonis ipsis sententiam de annona esse dictam, cum praesentim Cicero accuratissime, quid quoque post reditum die actum sit, distinguens ad posterum diem pergat verbis his, ad Att. IV. I. 7: „postridie (post Non.) senatus frequens.“ equidem negaverim eum, qui nulla praeiudicata opinione hunc locum perlegerit, quo ille die dixerit, ullo modo posse dubitare; quamobrem et Schuetzius et Suepfleius totam praeterierunt quaestionem atque reliquerunt luce rem iudicantes esse clariorem. Quid quod etiam Blatzius aliquantum illam interpretationem habere commendationis aperte confitetur? Sed singula videamus, quae subtilioris interpretis partes agens in medium profert. Ac primum si verba eo biduo coniungerentur cum enuntiato sequenti eo biduo cum — esset, fore negat, ut,

quonam die sententia de annona dicta sit, dilucide appareat. Fateor paulo fortasse planius et distinctius diem potuisse designari, sed infitior quicquam illum luminis rei adhibuisse, cum verba ita distingueret: „eo biduo, cum — postularet, feci et sententiam dixi.“ Namque multo res eo fit obscurior, quoniam, si quidem supra aliquid effecimus, illud eo biduo prorsus non constat num dies duos sequentes possit significare, et si id potest, tamen non debet. Quae distinctio omnis quominus fidem inveniat, aliae etiam obstant causae. Etenim collocatio illa verborum (eo biduo, cum — cum et q. s., feci) tanta sententiarum copia tantaque enuntiatorum mole interposita vix ac ne vix quidem potest ferri. Accedit, quod divellere eo biduo ab enuntiato proximo vetamur linguae Latinae natura saepius pronomina demonstrativa enuntiatis relativis praeponentis (cfr. Nägelsb. lat. Stilistik, § 189 eo cum venisset; ea res ut est enuntiata).

Alterum autem Blatzii argumentum est hoc: Si eo biduo ad prid. Non. et Nonas referatur, sententia igitur de annona et contio illa cadant in Nonas ipsas, quattuor* orationes, id quod credi non possit, credamus necesse esse Ciceronem illo die dixisse. Sed illa ad Quirites oratio, quae propterea inprimis est suspectissima, quia hoc epistularum loco non commemoratur, quid nobis necessitatis imponit tenebras huic loco offundendi? Nam huius loci interpretatio non pendet ex illa oratione sed nostrum de illa oratione iudicium pendet ex huius loci interpretatione. Si autem illa ad Quirites oratio in illius diei contione, quae de re frumentaria erat, haberi non potuit, quidni illam omnino negemus esse habitam? Blatzius contra aliique, ut Nonis ipsis oratio ad Quirites habita esse cogitari possit, sententiam de annona contionemque illam biduo post i. e. ante diem VII. Id. Sept. dictam esse contendunt, artificiosissima quaeque asciscentes, quam in simplici huius loci interpretatione adquiescentes, quippe qui, illa oratio si hodie non exstaret, aliter atque nos interpre-

* 1. oratio, cum senatui gratias egit.
2. oratio, cum populo gratias egit.
3. sententia de annona dicta.
4. contio.

tandi ausam omnino nullam haberent. Quod autem ter* Ciceronem dixisse Non. Sept. ex epistula ad Atticum data apparet, quid habet offensionis? Nonne populus ipse bis eum, ut diceret, impulerat?

Aliam viam explicandi ingressus est Drumannus, qui, etsi eo biduo ad prid. Non. et Nonas rettulit, sententiam tamen de annona contionemque habitam esse contendit pluribus diebus post; ea autem opinio neque est necessaria et propterea maxime displicet, quia, quo tandem die sententia dicta sit, prorsus non sit perspicuum. Accedit, quod vix potest ferri imperfectum esset**. Illius si sequeris interpretationem, plusquamperfectum fuisset postulari iam Blatzius vidit. Occurrendum est autem opinioni cuidam, quae etsi non est a quoquam in medium prolata, tamen propter nescio quam veri speciem suam esse refutanda videtur. Dixerit enim fortasse quispiam nostram ipsorum de Caesaris illis locis respiciens sententiam, eo biduo ad Non. et postridie Non. posse referri. sed quod licuit illic, hic abnuerim licere, quia, cum duorum sit dierum mentio facta quam dilucidissime, quo pertineat pronomen eo, hoc loco ambigi non potest. Etiam maioris momenti quodque rem prorsus diiudicet mea quidem sententia est hoc: Dicit Cicero in illa de domo oratione (VI, 15) in reditu suo annonam cariorem esse factam i. e. priedie Non. quo die rediit. (omnino non video, quemadmodum aliter illa verba possint intellegi.) Fuit igitur prid. Non. et Non. annona carior; quoniam autem etiam in epistula Ciceronis ratio grammatica, ut eo biduo ad prid. Non. et Non. respiciat, aperte postulat, altero alterum testimonio confirmante esse omnino nego, cur eo biduo vel ad Non et postr. Non. vel ad postr. Non. et a. diem VII. Id. Sept. spectare arbitremur. Summa igitur huius loci haec est: pridie Non. Cicero rediit; Nonis ipsis senatui gratias egit, in senatu de re frumentaria sententiam dixit, statim post senatum contionem, in qua in-

* 1. gratiae senatui actae.
2. sententia de annona dicta.
3. contio.

** cum prid. Non. et Non. annonae caritas esset, nonnullis diebus post — dixi.

primis de annonae cura ei erat dicendum, habuit. qua de contione recte iudicasse Wolfium apparet haec: Ferratii coniectura eam contionem et hanc (ad Quirites) orationem eandem censentis parum probabilis putari debet — neque adeo causam video, quare illum non de hoc ipso negotio, quod tum maxime urgebat, cura rei frumentariae contionatum esse putemus. Sed missum iam faciamus hunc locum, ad quem redeamus necesse est in prima post reditum oratione percensenda.

Stat igitur de epistularum illo loco sententia. Eamne patiemur converti posse atque immutari Cassii Dionis testimonio hoc? (XXXIX, 9) *Κατῆλθέ τε οὖν ὁ Κικέρων καὶ χάριν τῇτε βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ παρασχόντων αὐτῷ τῶν ὑπάτων καὶ κατὰ τὸ συνέδριον καὶ κατὰ τὴν ἐκκλησίαν ἔγνω τῷτε Πομπηίῳ τὴν ἔχθραν τὴν ἐπὶ τῇ φυγῇ μεθεὶς συνηλλάγη τήν τε εὐεργεσίαν παραχρῆμα ἀπέδωκε. Λιμοῦ γὰρ ἐν τῇ πόλει ἰσχυροῦ γενομένου καὶ τοῦ ὁμίλου παντὸς ἔς τε τὸ θέατρον (οἵῳ δὲ δὴ καὶ τότε ἔτι θεάτρῳ ἐς τὰς πανηγύρεις ἐχρῶντο) καὶ μετὰ τοῦτο καὶ ἐς τὸ Καπιτώλιον ἐπὶ τοὺς βουλευτὰς συνεδρεύοντας ἐςπηδήσαντος· καὶ τοτὲ μὲν ἐν χερσὶν αὐτοὺς ἀποσφάξειν τοτὲ δὲ καὶ καταπρήσειν σὺν αὐτοῖς τοῖς ναοῖς ἀπειλοῦντος* et q. s. Primo obtutu, inter Dionis et Ciceronis testimonia quid intersit, quisque videbit. Hic: in senatu gratiae actae, dicta de annona sententia, postea contio habita; alium ille rerum ordinem instituit: in senatu gratiae actae, populo (in contione scilicet) similiter gratiae actae, postea in senatu de re frumentaria actum. Constat Dionis fidem pendere ex fonte, unde hausit. Quoniam autem nulla ullius res momenti, quae a Dione libr. XXXIX. 6—40 narratur, in Livii librorum CIV. et CV. summario omittitur,* non prorsus est reiciendum id quod Dio de gratiis populo** actis refert, sed e Livii fortasse libris deper-

* cfr. Grasshof de fontibus et auctoritate Dionis Cass. Cocc. Bonn. 1867.

** Ex verbis summarii illius his: M. Cicero Pompeio inter alios orante et T. Annio Milone tribuno plebis agente ingenti gaudio senatus ac totius Italiae ab exsilio reductus est. Cneo Pompeio per quinquennium annonae cura mandata est, num Livius gratias populo actas commemoraverit, certo concludi non potest.

ditis illud est deducendum. Itemque ex actis senatus quae Caesar inito consulis honore primus omnium instituit ut publicarentur, et licuit illi satis illorum dierum accuratam haurire scientiam et repperisse sese vera quaedam ipse confitetur (l. LIII. c. 19). Quid quod nonnulla ex Asconii commentariis videtur excerpsisse? (cfr. Grasshof p. 30); quos si hoc loco est secutus, satis est idoneos auctores secutus. Sed concedamus optimos ei in promptu fuisse fontes; parum eum diligenter fontibus interdum esse usum meminerimus, ad arbitrium multa inprimis in eis quas composuit orationibus de suo addentem, plurimis locis neque tèmporis ullam habere rationem neque dies singulos notare neque singula ut ipse fatetur (LI, I.) persequi, cuiusmodi errata paene innumerabilia et Fabricius et Reimarus contulerunt et Drumannus de tempore post Caesaris mortem in lucem protraxit. Fortasse etiam hoc loco manifesto eum licet errantem deprendere: Etenim videtur aut Cassius Dio aut is, e cuius libris hausit, non tam inspexisse epistularum illum locum quam ad verbum paene transtulisse; conferas enim: in senatu senatui gratias et *χάριν τῇ βουλῇ κατὰ τὸ συνέδριον*, deinde: cum esset annonae summa caritas et *λιμοῦ γὰρ ἐν τῇ πόλει ἰσχυροῦ γενομένου*, tum: et homines ad theatrum primo, deinde ad senatum concurrissent et: *καὶ τοῦ ὁμίλου παντὸς ἔστε τὸ θέατρον καὶ μετα τοῦτο καὶ ἐς τὸ Καπιτώλιον ἐπὶτοὺς βουλευτὰς συνεδρεύοντας ἐσπηδήσαντος*. Non compilavisse autem solum Dionem illum locum sed confudisse ob eam rem coniecerim, quod eadem verba usurpans atque Cicero [cfr. omnes magistratus (contionem) dederunt *παρασχόντων αὐτῷ τῶν ὑπάτων*] eam quam Cicero post sententiam de annona dictam commemorat contionem antea habitam videtur contendere. Quem in errorem qui factum sit ut raperetur, aut fallor aut infra me posse explicare spero optoque. Quae cum ita sint, cumque ea, quae a Dione nobis traduntur, et per se sola satis habeant suspicionis et discrepent a Ciceronis illo uno omnium maxime nobis respiciendo testimonio, non poterit, qui ad vim veritatis non prorsus occalluerit, ullo modo infitiari iusto iure Teuffelium (Gesch. der Röm. Litt. p. 304

II. Aufl.) haec iudicasse: Der zweiten Rede ad populum fehlt es an äusserer Beglaubigung.

His inprimis de causis decantatissimam illam de altera post reditum oratione cantilenam ad finem esse ductam et sunt et fuerunt qui crederent, a falsario oratinuculam esse compositam sibi persuadentes. Attamen, ne cum ita iudices quidem, offensiones quae in illa oratione inveniuntur maximae quo modo irrepere potuerint explicantur. Nam non satis est more Wolfii et Marklandi affirmare semper semperque clamare certa ratione modoque illum falsarium insanire pueriliterque ludere; sed quomodo in errores manifestissimos, apertissimos et quos pueruli iam deprendant incidere potuerit is, qui haud mediocri illorum temporum eorundemque cognitu haud ita facilium scientia est instructus, quomodo, exemplum ut afferam, licet sescentis locis et per totam illam de domo orationem manifestum sit domum Ciceroni non esse redditam, tamen homo illarum rerum peritissimus illum fecerit dicentem omnes sibi esse fortunas redditas, talia aut intellegenda aut integra erant relinquenda, cum non minus habeant offensionis neque ullo modo explicantur falsario illi haud indocto imperitove ascripta atque imputata. Inquirenti autem in illam quaestionem semperque ad epistularum locum recurrenti haec mihi in mentem venerunt, quae quasi viam, qua progredi liceat, monstrare videntur. Verisimillimum esse mihi persuasi Ciceronem iam antequam Romam venit cum senatui singulisque* amicis insigniter de se meritis tum maxime plebi propter comitia splendidissima gratias agere in animo habuisse. Si autem voluit gratias agere, is, qui numquam fere imparatus ad dicendum aggrediebatur, facile credi potest vel uno vel pluribus diebus ante illas Sept. Non. duas orationes composuisse. Quod vero turbulentissimo illo die, quo non tam gratias exspectavit populus a Cicerone quam postulavit annonae vilitatem; eam quam antea confectam fortasse habebat orationem apud plebem dicere non potuit, quid est quod miremur? Si forte illa quae ante Nonas scripta est oratio ad nos pervenit, prop-

---

* nescio an huc quadret pro Planc. XLII., 101. me si essem in patriam restitutus, praesentem tibi gratias relaturum.

terea suspecta non est, quia Nonis ipsis haberi non potuit. Reputavi autem, num fortasse oratio ad Quirites pridie Nonas, quo quidem die Cicero Romam venit, scripta sit aut scribi potuerit, sed nullo orationis loco probari Romae eam pridie Non. scriptam esse mox intellexi. Etenim talia: dici vix potest patria quid voluptatis habeat (I, 4) quolibet aut tempore aut loco scribi potuerunt. Itemque quae in prima ad senatum oratione in veniuntur: hodierno die nominatim a me magistratibus statui gratias esse agendas, ea nullo modo ansam nobis praebent divinandi, quo ille die eam composuerit. Quae cum ita essent cumque gravissumae causae me impellerent, quae quales sint, infra apparebit, non prid. Non. sed iam in itinere* orationes compositas esse mihi persuasi, quod si probaveris, multas difficultates dubitationes, in quibus removendis multum idque in cassum sudaverunt homines docti non solum explicari posse confiteberis, sed etiam ad minuendam de illis orationibus suspicionem magno esse momento. In itinere autem quod putavi Ciceronem scripsisse nihil habet offensionis, quoniam et epistulas [velut ad Att. V. 9] multas et topica in itinere confecta esse constat Sed singula percenseamus.

Ac primum conclusione ex silentio quam philosophi dicunt uti haud abs re mihi visum est. est enim nobis explicandum, quemadmodum factum sit, ut ne uno quidem verbo Ciceronis adventus in illis duabus post reditum orationibus attingeretur. Cave autem suspiceris ad adventum ejus spectare verba haec: non reducti sumus in patriam sed equis insignibus et curru aurato reportati (ad sen. XI, 28), quae non ad adventum sed ad mensis Sextilis comitia splendidissima referenda esse et conexus sententiarum lucidissime ostendit et Klotzius et Wagnerus** contra nonnullorum dissensiones optimo jure interpretati sunt. Itemque haec: Cum me Italia cuncta paene suis humeris reportarit (ad sen. XV, 39) non ad diem quo rediit, sed ad totum per Italiam iter spectant; id quod etiam ex Plutarchi testimonio apparet

* cfr. ad Att. IV. I, 4. pr. Nonas Sextilis profectus sum . . . etc. Romam venit prid, Non. Sept.

** orat post red. in sen. p. 54.

hoc: καὶ τοσαύτη τὰς πόλεις χαρὰ καὶ σπουδὴ τοὺς ἀνθρώπους περὶ τὴν ἀπάντησιν εἶχεν, ὥστε τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Κικέρωνος ὕστερον ἐνδεέστερον εἶναι τῆς ἀληθείας, ἔφη γὰρ αὐτὸν ἐπὶ τῶν ὤμων τὴν Ἰταλίαν φέρουσαν εἰς τὴν Ῥώμην εἰσενεγκεῖν. Nulla igitur adventus fit mentio in illis primis post reditum orationibus; quod quantum habeat offensionis dici vix potest, cum nullo modo cum Cicero silentio dissimulasse credi possit; reditum autem qualis fuerit respicias: senatum egressum ille vidit populumque universum et ipsam Romam prope convulsam sedibus suis, eius ipsius ut verbis utar, ad complectendum conservatorem suum progredi, ita sese acceptum esse, ut non modo omnium generum aetatum ordinum omnes viri et mulieres omnis fortunae ac loci sed etiam moenia ipsa viderentur et tecta urbis ac templa laetari. A plebe infima plausu maximo gratulatio ei est significata, plausu et frequentia in Capitolium est celebratus. Propter quam salutationem honorificentissimam et exoptatissimam quis negabit Ciceroni gratias agendas fuisse? quem admodum autem potest explicari in duabus post reditum orationibus, quibus non potuit sed ubi debuit salutatio illa commemorari, ne perquam breviter quidem rem attingi, in omnibus, quae postea habitae sunt orationibus non uno loco sed sescentis locis, non modeste ac leviter, sed arroganter paene et pluribus verbis etiam atque etiam illius diei splendorem in medium proferri? [cfr. ille unus dies, quo die me populus Romanus a porta in Capitolium sua celebritate laetitiaque honestavit comitatum, tantae mihi iucunditati fuit et q. s de dom. XXVIII. 76. Ad urbem accessus incredibili hominum multitudine et gratulatione florebat, pro Sest. LXIII. 131. Unus ille dies mihi quidem immortalitatis instar fuit in Pis. XXII. 51.]

At falsarius fortasse illum reditus diem orationibus quas confecit inserere omisit. Sed nullo modo concedere possum eum, quem Ciceronis orationes compilasse dicunt, omisisse atque neglexisse illum de reditu honorifico locum notissimum, quoque exsultaret oratio aptissimum. Sit enim tibi ipsi propositum, ut Ciceronis dicendi imitans genus oratiunculam, qua gratiae populo agendae essent, componas, nonne inprimis

in adventu illo splendido describendo, tamquam in campo, libere vagaberis? In itinere autem si illae orationes sunt scriptae, nihil habet offensionis, sed nullo negotio potest explicari neque gratias agi populo propter gratulationem plausumque neque ullo modo Ciceronis adventum commemorari.

Sed haec fortasse leviora, illud vero majoris momenti, quod in altero quaerendi loco posui. Scimus ex epistula Ciceronis (ad Att. IV. I, 7.) mense Septembri nondum ei domum esse redditam; prorsus autem discrepant ab eis ea, quae in illis orationibus inveniuntur: orat. ad sen I, 1. qui mihi fortunas reddidistis ad sen. I, 2. parentum beneficia deorum munera populi Romani honores omnia uno tempore reddidistis; ad sen. XV, 39. ut cum ea mihi sint restituta quae in potestate non fuerunt (sc. bona cf. ad Quir. VIII, 20. Marius cum sua bona possideri ab inimicis ac diripi audiret cum ea quae amiserat sibi restituta essent) ad sen. XV, 39. cum illa amissa recuperarim ad Quir. I, 3. reliquae (sc. quas furor hostium reliquerat) meae fortunae recuperatae. Quibus ex locis eum qui has, orationes scripsit luce est clarius in ea sententia fuisse, ut omnes Ciceroni fortunas restitutas esse crederet. Cicero autem qui iam anno ante haec scripserat (ad fam. XIV. II. 3): Tum denique mihi videbor restitutus si area nobis erit restituta, et qui paucis diebus post reditum haec apud pontifices dixit (de domo XXXVII, 100): Si mea domus non modo non redditur, sed etiam monumentum praebet inimico doloris mei, quis erit qui hunc reditum potius quam poenam sempiternam putet, talia igitur qui scripserat, quemadmodum potuit eo tempore, quo domus ei nondum erat reddita, apud Quirites contionari hunc in modum (ad Quir. II, 5): neminem esse, qui magnitudinem multitudinemque beneficiorum, quam in me fratremque meum, contulistis, non modo augere aut ornare oratione, sed enumerare aut consequi possit. Mitto dicere quid iudicaverint Marklandus et Wolfius, quibus ambagibus Gessnerus ad quam perversam sententiam pervenerit (cfr. ad Quir. I, 3) hoc dico rem posse diiudicari. Etenim si Ciceronis illud

respicis (de harusp. resp. VI, 11) testimonium: eandem domum populus Romanus, cuius est summa potestas omnium rerum, comitiis centuriatis omnium aetatum ordinumque suffragiis eodem jure esse jussit quo fuisset, si igitur pridie Non. Sext. populus Ciceroni etiam domum reddidit, nonne luce est clarius, cum mense Sextili et Sept. iter fieret, in itinere eum persuasissimum habuisse domum sibi redditam esse? Si in itinere illas orationes composuit, scribi aliter omnino non potuisse in propatulo est atque hodie in illis invenimus. Quibus expositis facile intellegitur, cur in illis post reditum orationibus neque domus areae araeque Libertatis mentio fiat et gratiorum quadam abundantia illius exsultet oratio. Simul autem urbem intravit, et Clodium de area cedere nolle et senatum decrevisse animadvertit, ut de Ciceronis aedium religione ad pontificum collegium referretur (cfr. de harusp. r. VI, 12). Quibus de causis est sane, cur suspicari liceat, aliter eum in itinere de domo quaedam scripsisse, aliter post adventum et apud senatum et in illa contione ea de re dixisse.

Videte iam porro verba haec: (ad Quir. I, 4) quae species Italiae, quae celebritas oppidorum, quae forma regionum, qui agri, quae fruges, quae quidem exclamationes nonne quasi iter redolere videntur? Inveniuntur praeterea alia eiusmodi, quae etsi non argumento nobis esse possunt, quodam tamen modo opinionem nostram commendant, velut haec: Constat Ciceroni, cum Non. Sext. Brundisium venisset, Tulliam praesto fuisse (ad Att. IV, I, 4), Terentiam non adfuisse, cui sive eam hanc ob causam sive propter alia quaedam domestica (ad Att. IV, I, 8) illo tempore succensebat. Cum autem cum Tullia iter faciens orationes illas scriberet, neque consulto neque casu factum esse suspicari licet, ut multis locis Tulliam, filiam optimam, liberos fratremque (ad senat. I, 1. ad Quir. I, II aliis locis) uno tantum loco coniugis miserae (ad Quir. III, 8) faceret mentionem.

Sequitur, ut de re frumentaria dicamus, qua in re cum Wolfius et Marklandus firmissimam illarum orationum a Cicerone abiudicandarum ansam se invenisse fateantur, pluribus eam exponamus necesse est. Iam mense Quinctili infima coacta

multitudo annonae caritate tumultuata est [memoria lapsus Bootius (ad Attic. IV, I. 6) ludos Apollinares et hanc annonae caritatem ad Nonas Sept. spectare censet]. Postea cum mense Quinctili extremo (Wolfius: sub Nonas Sext.) senatus de reditu Ciceronis decrevisset, subito illo ipso die carissimam annonam necopinata vilitas consecuta est. [de dom. VI, 14; cfr. etiam VI, 15: erant qui deos immortales id quod ego sentio numine suo reditum meum (sc. decretum de meo reditu) dicerent comprobasse.] Cum autem pridie Non. Sept. Romam veniret, iterum annona facta est durior (cfr. ad Att. IV, II, 6 eo biduo cum esset annona summa caritas. de domo VI, 15 annona quia rursus in meo reditu facta erat durior.)

Quibus expositis quae in illis post reditum duabus orationibus ea de re inveniantur, accurate quaeso examines: mecum etiam frugum ubertas mecum deorum et hominum sanctitates et religiones afuerunt quae si aliquando revocarentur, intellegebam mihi cum illis una esse redeundum ad sen. XIV, 34 diis denique immortalibus frugum ubertate copia vilitate reditum meum comprobantibus ad Quir. VIII, 18. Talia vero quis putabit aut scripta dictave esse aut scribi omnino potuisse prid. Non. et Nonis, quo tempore non iam caritas timebatur, sed plane inopia ac fames (cfr. de domo V, 11). Affert igitur Marklandus haec: O casum infelicem quo contigit ut ipso Cicerone teste cognorimus Nonis Sept. et pridie eius diei frumentum omneque genus annonae in urbe artissimum et carissimum fuisse. Hic plane deprehensum hunc auctorem habemus tamquam manifestarium impostorem nec difficile est huius vel fictionis vel erroris fontem indagare. Nempe meminerat rhetor lente in museo scribens sub Ciceronis reditum Romae memorabilem inopiam frumenti et omnis annonae fuisse deinde vero eam sublevatam quadam lege ab ipso Cicerone proposita*. Sed perspexit iam Gessnerus et iure optimo contendit eum, qui illa verba: dis vilitate comprobantibus,

* cfr. edit. Wolf. p. 67 ad orat. p. red. XIV, 34.

et frugam ubertas afuit, scripserit, nullo modo vilitatem quae fortasse (nihil enim certi de illa re) post Nonas Sept. facta est, respexisse, sed ea verba referenda esse ad eam vilitatem quae mense Quinctili (Wolfius sub Non. Aug.) necopinata carissimam annonam consecuta est. Comprobat hoc Wolfius neque tamen minus comprobanda, quae ab ipso in medium proferuntur: Quis non videat miseram ac ridiculam futuram fuisse praesentis inopiae consolationem si laxiorem annonam quae mense priore fuisset, nunc senatui et populo in memoriam revocasset cum spes meliorum temporum quam boni quidam viri in ejus reditu sitam dictitarant, in ipso adventus tempore ad irritum cecidisset. Quid quod non verisimile sed plane necessarium est oratorem qui nihil molitur inepte si priorem illam vilitatem suae fortunae assignare voluisset, nunc cum fames timeretur, ea de re longe aliter dicturum, et commotam multitudinem simili quadam ratione atque illi boni viri consolaturum fuisse. Et prorsus cum Wolfio de ea re consentio. Nam non absurdum solum fuisset, sed maxime etiam ridiculum, si illo ipso die, quo annonae summa erat caritas, Cicero dixisset et deos illud de reditu suo decretum frugum ubertate copia vilitate comprobasse et secum ubertatem frugum rediisse. Quod si dixisset, dubium non est, quin non plausu illum in contione, quam de annonae cura Pompeio mandanda habuit, sed risu infaustis ominibus lapidatione excepturi fuerint. His igitur perspectis difficultatibus impudentissime falsarium quendam erant qui hariolatum esse putarent.

Sed nullae non removebuntur illa de re offensiones, si in itinere orationes scriptas censebis. Nam cum Cicero Quinti fratris litteris ante diem VI Id. Sext. (ad Att. IV, I, 5) sine dubio illam quae post reditum a senatu decretum facta est annonae vilitatem cognovisset, fieri omnino non potuit, quin illam rem, qua deos ipsos reditum comprobasse dicit, commemoraret. Sed simulatque Romam venit, ea quae de re frumentaria scripserat, prorsus non quadrabant in illos dies adventus, quibus urbem frumenti inopia gravissuma pressam fuisse con-

stat. Id cum iam antiquissimis temporibus fortasse animadversum esset, ea orationis ad Quirites pars ubi de re frumentaria actum est, deleta videtur esse maiorisque ambitus exstitisse lacuna, quam quem ad modum invenerim, paucis est explicandum. Etenim cum paragraphum XVIII perlegerem, accuratissimam in ea omnium quaecunque autecedunt enumerationem contineri hanc inveni: „hac auctoritate senatus, tanta consensione Italiae, tanto studio bonorum omnium, agente P. Lentulo, consentientibus ceteris magistratibus, deprecante Cn. Pompeio, omnibus hominibus faventibus dis denique immortalibus frugum ubertate copia vilitate reditum meum comprobantibus. Una autem quaeque huius enumerationis pars ad partem orationis praecedentis maiorem spectat sed ultima verba dis-comprobantibus quo referantur non habent. Conferas quaeso: Hac auctoritate senatus et p. IX numquam-numquam-numquam in senatu mentio facta est. nulla auctoritate senatus illi restituti et q. s. Tanta consensione Italiae et p. X. nullus in eorum reditu motus municipiorum et coloniarum factus est, at me Italia cuncta ter suis decretis et q. s. Tanto studio bonorum omnium et p. XI. pro me consules semper ut referrent flagitati sunt sc. a bonis, p. X. inimico autem optimo viro et mitissimo referente. Agente P. Lentulo et p. XII seqq. P. Lentulus consul parens deus salus notrae vitae et q. s. consentientibus ceteris magistratibus p. XV. collega autem eius (Lentuli) primo non adversante post etiam adiuvante reliqui magistratus paene omnes defensores salutis meae. Deprecante Cn. Pomeio et p. XVI quorum princeps ad cohortandos vos et ad rogandos fuit Cn. Pompeius et q. s. Omnibus hominibus faventibus et p. XVII eodem tempore omnes consulares omnes praetorins ut omnium testimonio. Quoniam vero una quaeque enumerationis illius pars ad partem spectat orationis, cum nullis verbis explicetur atque ne breviter quidem attingatur illud: dis comprobantibus, lacunam ante paragraphum XVIII esse statuendam censui, quem quidem locum omnium corruptissimum esse neque Wolfius solum aut Marklandus sed etiam Ernestius et alii conces-

serunt, aliquid interpolationis suspicantes. Si autem in ea quae paragrapho XVIII antecessit parte de vilitate uberius est actum, cum mirum quantum illud haberet offensionis tale quid Ciceronem dixisse Non. Sept., facile quis eam partem fieri potuit ut deleret. Sed ea de re ut perorem, quantae difficultates obiectae quam facile nostra de illis orationibus coniectura removeantur, satis mihi demonstrasse videor.

Attulimus argumenta ex illis orationibus ipsis petita nunc quid elici veri possit videamus ex Ciceronis testimonio hoc (pro Planc. XXX, 74). Nihil autem me novi nihil temporis causa dicere nonne etiam est illa testis oratio quae est a me prima habita in senatu. in qua cum perpaucis nominatim egissem gratias, quod omnes enumerari nullo modo possent, scelus autem esset quemquam praeteriri statuissemque eos solum nominare qui causae nostrae duces et quasi signiferi fuissent, in his Plancio gratias egi. Recitetur oratio quae propter rei magnitudinem dicta de scripto est. Litteris igitur mandatam illam fuisse apparet; fortasse etiam altera ad Quirites scripta erat. quo autem tempore Romae ei licuit unam aut duas componere orationes? Pridie Nonas et id quod suspicari licet sub vesperum certe non ante meridiem Romam venit; iter a porta, in Capitolium ascensus, domum reditus. Amici accurrunt laetantes, salutatio optimatium, clamor et gaudium clientium, gratulatio omnium hominum. qua quidem in laetitia summa quis eum litterulam nedum duas orationes scribere potuisse contendet? Si autem Romae ei non licuit scribere, scripsit in itinere! Vix enim crediderim, eodem die quo gratias egit et mane quidem gratias egit, eum illam ad senatum orationem quasi conscribillasse.

Haec habui, quae argumento esse putarem, eas quae ad nos pervenerunt orationes in itinere esse confectas. Liceat mihi hoc loco adiungere id quod ad rem fortasse facit: Litteris mandatae sunt illae orationes, editae in lucem non videntur. Ut enim per sese verisimile non est alteram ad Quirites, quae nunquam habita est, emitti potuisse, ita etiam ratiocinando id licuit assequi. Etenim Cicero in secunda quam post redi-

tum ad Atticum misit epistula dicit haec: Itaque oratio (de domo) iuventuti nostrae deberi non potest, quam tibi etiam si non desideras, tamen mittam cito (ad Att. IV. II, 2). Quo tempore orationes post reditum si edidisset, sine dubio eius rei illo loco mentionem fecisset. In scriniis igitur Ciceronis semper usque ad mortem latuisse videntur. Cum autem mortuo Cicerone cum alii commentarii inediti (cfr. Quint. X., 7, 31) tum illa ad Quirites oratio vel in Tironis vel in Attici scrinia illius perscrutantium vel in Livii vel in cuiuslibet manus venissent, nonne necessario in eum errorem inducti sunt, ut Nonis Sept. Ciceronem populo gratias egisse crederent? Quamobrem haud quaquam hercle mirandum Cassium Dionem* veris falsa miscuisse vel scholiastam talequid [quod prorsus in universum est dictum neque ullo modo novi quicquam affert] nobis exhibere: R e s t i t u t u s M. T u l l i u s c u m g r a t i a s e g i s s e t s e n a t u i e t i a m p o p u l o g r a t i a s c o n s e q u e n t e r a g e n d a s a r b i t r a t u s i n c o n t i o n e m p r o c e s s i t. Quibus expositis alteram ad Quirites orationem et minus suspiciosam esse et minus nobis displicere habeo persuasissimum.

Absolvimus illam de altera ad Quirites quaestionem. Restat ut quid d e p r i m a p o s t r e d i t u m sentiamus, ad quam etiam atque etiam oratio iam est delapsa, paucis explanem. Antequam id faciamus, tenebris quibusdam vel potius crepusculo quod in ea quae est de domo oratione invenitur, lumen est afferendum. Quo loco mirum quantum habet offensionis gratias senatui actas non commemorari, cum praesertim quaecumque Non. Sept. acta esse ex Ciceronis epistula intelleximus, singillatim proferantur: turbulentus dies (de dom. III, 5) nonnulli se in senatu tuto non esse arbitrantur (IV, 8.) populus Romanus ad senatum venerat (VII, 15), petitur a Cicerone frumenti copia, annonae vilitas (VI, 16) delegavit amico sc. Pompeio annonae curam sententiamque dixit (VI, 16), postridie senatus frequens (cfr. IV, 9, 10. senatus frequens, cum

---

* Aut fallor aut ex Cassii Dionis verbis his (XXXIX, 10) *οὐ μέντοι (Καῖσαρ καὶ Κράσσος) καὶ χάριν οὐδεμίαν ἀντέλαβον*, fortasse concludi licet Dionem orationes post reditum, ex quibus id inprimis cognosci potuit, respexisse.

omnes adessent). Alia eiusmodi si tu reputaveris, illis rebus omnibus Nonas Sept. significari nullus negabis. Sed ea interpretatio omnis ne propter quandam difficultatem quae facile animo occurrat reiciatur, paulo est accuratius res nobis tractanda. commemoratur enim (de dom. V. 11) senatus ad templum Concordiae vocatus, quem quo die consules habuerint, dissident interpretes illius loci vel nonnullis diebus ante vel prid. Nonas eum habitum iudicantes, quae opinio certo refutari argumento potest hoc: Eo tempore, quo senatus vocatur, lapidatio fit, qua in lapidatione a Clodii operis frumentum postulantibus Cicero nominatur. Qui si nominatur sique frumentum ab eo postulatur, Romae esse putandus est; quoniam autem diebus ante prid. Non. Romae non fuit, neque lapidationem neque senatum illis diebus fuisse concludamus necesse est. At prid. Non. senatus fortasse habitus est. Sed ne id quidem credi potest, quia senatores plurimos ex urbe egressos (cfr. in Pis. XII, 52) illumque domum comitantes verisimile non est in senatum esse vocatos. Ergo senatus, ad Concordiae vocatus, Nonis Sept. habitus esse videtur bisque illo die cum senatu egerunt consules, prius in Concordiae templo, deinde in Capitolio. Putavi autem nuper eum senatum qui in Capitolio erat eundem fuisse atque illum qui ad Concordiae vocatus est. Illud enim templum ita est inter Capitolium et arcem situm et ita magnis substructionibus exaggeratum atque in altitudinem erectum (cfr. Aemil. Braun Röm. Baudenkm. Philol. II suppl.) facile ut quis si illic senatus erat, dicere possit eum fuisse in Capitolio. Accedit quod Latini scriptores non parti solum montis Capitolii nomen sed toti monti imponebant, sed num Cicero id fecerit, dubitare licet, cum neque certum locum apud eum neque quicquam ea de re in eis libris qui nuper editi sunt a Iordano et aliis invenerim. Quamobrem bis illo die senatus esse vocatus existumetur necesse est; id quod non modo nihil offensionis sed, cum omnia quadrent, etiam aliquid habet commendationis: In templo Concordiae Cicero senatui gratias egit, nonnullis horis post in Capitolio de re frumentaria accurate sententiam dixit. Quid quod Clodius ipse qui in eum invehitur verbis his: (II, 5) A t e n i m i n s e n a t u m v e n i r e i n C a p i t o l i u m t u r-

bulento illo die non debuisti, senatum qui erat in Capitolio velle videtur discernere ab eo, qui eodem die erat in Concordiae templo? Adde quod, cum in illa ad Concordiae lapidatione Cicero nominatus sit frumentumque ab eo postulatum, concludere licet eum ibi adfuisse, denique locus ille epistularum (ad Att. IV. I. 6) si nos non cogit attamen non prohibet bis illo die senatum vocatum esse existumare. Quae cum ita sint cumque iam in Concordiae templo gratias actas esse verisimile sit, quid mireris, quod in illa de domo oratione Cicero uberius exponens, quid in altero senatu, qui in Capitolium vocatus est, dictum factumvesit, gratiarum actarum non fecerit mentionem?

Sed concedamus, id quod concedendum fortasse est, Ciceronem neque fuisse neque gratias egisse in templo Concordiae, sed primum post reditum in Capitolium venisse. Quod si tibi persuaseris, res sic se habebit: Domo se tenuit, in senatum non venit, sive quod metuebat Clodium sive quod minus valebat. Arcessunt eum consules (III, 6. 7.) venit exspectatus VII, 16). multis iam dictis sententiis sententiam rogatus est. Quae autem dixerit, his ipse narrat verbis: (IV, 10) at quam sententiam dixi? primum eam quam populi sermo in animis nostris jam ante defixerat, deinde eam quae erat superioribus diebus agitata in senatu, deinde eam quam senatus frequens tum, cum mihi est adsensus, secutus est. Offendebat omnes interpretes hic gratiarum mentionem non fieri. Cave autem sis existimes ad gratias actas referenda esse vel haec: quam populi sermo in animis nostris jam ante defixerat, vel haec: (III, 7) cum tanta multitudo civium me ad referendam gratiam nominatim vocarent, quae ad rem frumentariam spectare in propatulo est. Quae cum ita sint, qui factum sit, ut prorsus gratias actas dissimularet, explicandum nobis erit. Nihil autem ad rem id quod Blatzius offert (p. 16): die Aechtheit oder theilweise Aechtheit der Rede post reditum ad senatum vorausgesetzt, oder selbst wenn Cicero nicht ihr Verfasser ist, müssten sich in derselben nicht Andeutungen oder Entschuldigungen wegen des verspäteten Erscheinens Cicero's im Senat, wegen Unterbrechung der Verhandlungen durch seine Dankesäusserung vorfinden? Nam in

itinere si scripta oratio est illa, nihil de diebus post reditum in ea potest inveniri. Sed maioris momenti est hoc (p. 17): In § 6 der Rede an die Pontifices entschuldigt sich Cicero, dass er an dem stürmischen Tag noch in den Senat kam. — Wenn es einer Entschuldigung bedurfte, dass er kam, hätte nicht der beredte Sprecher als Hauptgrund seines Erscheinens im Senat die lange genährte Sehnsucht nach schmerzvoller Abwesenheit wieder einmal an den Berathungen der höchsten Versammlung Theil zu nehmen und den Drang seines Herzens den Vätern seinen Dank für ihre Bemühungen um seine Rückkehr auszusprechen, hinstellen müssen? Nimirum res ita se habet, ut certi aliquid afferre difficile sit. Sed haec quaeso respicias: Non. Sept. in senatu qui erat in Capitolio quos adfuisse putabis? Sine dubio omnes, quicunque Pompei partes sequebantur. Consulares, quo in numero nonnulli pontifices, et plurimi optimates de illa annonae cura Pompeio mandanda fremebant atque non tam propter metum quam adversantes irascentesque Pompeio in illum senatum non venerant. Iure igitur Clodius in Ciceronem invehitur: Tu illo die in senatum venire non debuisti. Debuit abesse a senatu, non quia senatus iudicium liberum non fuit, sed quia si venit, optimatiam offendens animos (II, 3) non bonorum civium sed Pompei studiosissimum se esse ostendit. Quam inepte in ea quae est de domo oratione locutus esset Cicero apud pontifices, si dixisset desiderio quodam sese elatum Non. Sept. in senatum (i. e. ad Pompeianos, qui soli aderant) venisse! Quam ridiculum fuisset Ciceronem gratias actas commemorare. Quibusnam erant actae nisi, cum paene omnes abessent, perpaucis iisque cum Pompeio facientibus? Quibus de causis gratias actas prorsus dissimulat, et paene coactum venisse sese in senatum haud tecte significat: (cf. III, 6: ego vero neque veni et domo me tenui; 7: cum consules me arcesserent, cum multitudo civium me nominatim vocarent, VI. 15. a populo Romano universo in senatum nominatim vocabar; et plurima alia quae longum est afferre.) Quae cum ita sint, noluisse apud pontifices illum in ea quae est de domo oratione gratias actas commemorare licet suspicari.

Quod argumentum si acu cuidam enucleatum esse videatur,

alia quaedam quae majoris sunt momenti afferamus: In Capitolio si gratias recitavit, sine dubio relationem egressus est, vix autem crediderim in relatione egredienda nimium eum temporis eo tempore consumpsisse, quo omnes, quid de cura annonae Pompeio mandanda dicturus esset, exspectarent; quare omitti nonnulla a Cicerone ipso potuerunt, debuerunt autem omitti, quae in itinere de frugum ubertate de fortunis omnibus sibi restitutis scripta erant, quae risum sane illo die prolata in medium movissent. Denique recitari orationis ad senatum non potuit ea pars (VII, 16—17) qua L. Pisonem hunc in modum compellavit: L. Piso tune ausus es et q. s non te et q. s cum tu-tu es ausus et q. s sicut eras et q. s. Etenim Piso, consularis, omnes cum consulares abessent praeter Messallam et Afranium (ad Att. IV, I. 6.) ab illo senatu necessario putandus est afuisse. Quae cum ita sint, cum si non maxima at magna tamen orationis pars dicta omnino non sit, et ea pars quae recitata est in relatione egredienda cito cursimque recitata sit, intellegi fortasse potest, cur gratias, ne a Clodio quidem commemoratas silentio prorsus dissimulaverit. Si igitur in illa oratione, ubi Plancii* defendendi causa e scriniis ad tempus profert eam, propter rei magnitudinem eam de scripto esse recitatam contendit, non tam propter rei magnitudinem quam propter temporis angustias propptereaque [id quod in recitando licuit] quia nonnullas tantum partes electas recitavit, de scripto eam videtur dixisse. Utcunque res se habet, sive in Concordiae templo sive in Capitolio gratias actas esse censes, nihil habere offensionis iudicarim, quod in ea quae est de domo oratione earum mentio non fiat. —

Quibus expositis unde exorsi quo pervenerimus, paucis comprehendamus. Primum epistularum et Cassii Dionis locos eos qui sunt de reditu Ciceronis et quam inter sese discrepent et quid ad rem faciant accuratius interpretati, alteram ad Quirites orationem habitam non videri proptereaque suspectissimam esse indicavimus; sed si in itinere eam scriptam esse credideris, si non omnes at plurimas tamen difficultates removeri. Deinde, quo loco quove tempore senatui Cicero gratias egerit, demonstravimus.

* pro Planc. XXX, 74.

Vita.

Natus sum Martinus Lange Frankenbergae Saxonum d. VI. mens. Jun. MDCCCL. patre Friderico matre Rosalia de gente Barthel. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum primordiis imbutus gymnasio regio Zwickaviensi quod tum H. Ilbergo rectore optime de me merito florebat, maturitatis testimonio accepto, a. MDCCCLXX. d. XXV. mens. April. in numerum civium academicorum universitatis Lipsiensis relatus sum. Viri autem quorum scholis per triennium interfui, hi fere sunt: Ahrens, Curtius, Drobisch, Eckstein, Hildebrandt, Lange, Overbeck, Ritschl, Strümpell, Voigt, Zarncke. Per annum fui proseminarii, per annum seminarii regii socius ordinarius praeterea Hildebrandtii, Langii, Ritschelii, Ecksteinii, Zarnckii societatum particeps fui. Quibus omnibus viris clarissimis propter summa eorum de me merita gratias ago plurimas.